



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

24 De Indulgentijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

DE IM. ET DI. EC.

¶ Obijcit hæreticus.

Christus passus est se iudicari à iudice laico Pilato, & testimoniū perhibuit ei, quia haberet super eū potestatem de super. Itaq; Christiani sacerdotes non debent refugere iudices laicos.

¶ Respondet catholicus.

Egregiam rem moliris, vt omnes iudices Christiani sint Pilati & Herodes. Christus manifeste obiecit peccatum Pilato, quia is qui tradiderat eum maius peccatum habebat. Quod autem dixit Pilatum habere potestatem de super, si ad deum referatur, accipitur permissiue, permisit deus hoc Pilato, oblatum est eū quia voluit, si ad Cæsarem, non habet intentum hæreticus.

Isa +3)

DE INDVLGENTIIS.

XXIII.

¶ Quia indulgentiæ sunt duntaxat satisfactoriæ pœne pro peccatis debite, ostendamus aliud esse meritum,
aliud

aliud satisfactionem.

DE merito Christi dicitur, Phil. 2
 Propter hoc deus exaltauit
 illū, & donauit illi nomen
 quod est super omne nomen. Ecce
 quid meruit sibi. De satisfactiōe ei
 dicitur, hic est calix nouū testamen- Luc. 22
 tū in sanguine meo, qui pro vobis Mat. 26
 tradetur in remissionem peccato-
 rum, ecce quid meruit nobis.

De offerente hostias pro peccatis
 dicitur. Et rogāte pro eis sacerdote, Leuit. 4
 propitius erit ei dominus. Non de
 culpa, sed de pœna, quomodo? nisi
 per intercessionem.

¶ Thesis Tilmanni.

Scito hic thesaurum indulgentia-
 rum fieri ex superabūdantia meri-
 torum (quatenus satisfactoria erāt)
 Christi & sanctorū. De superabūn-
 dantia passionum Christi pro no-
 bis dicitur, Ipse est propitiatio pro
 peccatis nostris, non nostris autem 1. Ioan. 2
 tantum, sed totius mūdi. Ex qua au-

S 1 tho-

DE INDVL.

thoritate patet, passionem Christi
sufficiēter satisfacere pro toto mū-
do, ac per hoc quū exequutiue pro
paucis tantum satisfaciāt, infinitū
thesaurum satisfactionū Christi su-
peresse in sacramētis, quibus eadem
Christi passio satisfaciūt. De sancto-
rum autem passionū meritorumq;
superabundātia, quo ad officium sa-
tisfaciendi pro nobis, patet ex Iob
dicente: Vtinam appenderentur pec-
cata mea, quibus irā merui, & cala-
mitas quam patior in statera, quasi
arena maris hęc grauior appareret.
Ex his Iob verbis claret ipsum plus
passum fuisse, quā pro peccatis su-
is debuerit pati. In superabundātia
autem passionū, consistit superabū-
dantia satisfactionum. Et idem de
multis sanctis apertissimum est. De
sanctorum vero intentione, quod
scilicet voluerint pati, passiq; sint li-
benter, non solum pro se, sed etiam
pro nobis, testatur Apostolus, dicēs:
Nunc

Iob 6

Nunc enim gaudio in passionibus **Col. 1.**
 meis pro vobis, & adimpleo ea que
 defunt passionum Christi in carne
 mea, pro corpore eius quod est ec-
 clesia.

Expende catholice, quia miseriae
 sanctorum adiungendae sunt pressu-
 ris Christi, ad communem ecclesiae
 utilitatem. Et est iste thesaurus meri-
 torum, de quo dicit ecclesia, preci-
 bus & meritis sanctorum. Nam quod
 Paulus adimpleuit, quis negabit de
 alijs sanctis, crucem Christi portan-
 tibus & eum sequentibus? Quod pa-
 pa hunc thesaurum dispensat, patet
 ex Apostolo dicente: Sic nos existi-
 met homo ut ministros Christi, & **1. Cor. 4.**
 dispensatores ministeriorum eius.
 Iterum: Dispensatio mihi credita
 est. Item: Cui donastis aliquid, & e-**1. Cor. 9.**
 go. Non donauit culpam sed poenam.
 Nam & ego quod donavi, si quid, **2. Cor. 8.**
 donavi propter vos in persona
 Christi.

Certum

Certum est Gregorium magnum
 dedisse indulgētiās ante .900. annos,
 & ita postea obseruatum per omnē
 ecclesiam. Mirantur hæretici, quia
 papa remittit tertiam aut mediam
 partem pœnarum, aut plenarie in-
 dulgeat. Quum ipsi non verecun-
 dentur asserere, quemlibet sacerdo-
 tem à culpa & pœna absoluerē, ipsi
 remittunt totam pœnam, & nolunt
 papam remittere partem.

Leuit. 25

Indulgentiarum Euangelij figu-
 ra fuerunt Iubilei in veteri testa-
 mento.

De his sumus contenti, eo quod
 habeamus solidum fundamentum
 in sancto Paulo, ne credamur dili-
 gentiores in causa lucrosa. Porro
 quod vniuersa recepit, credit & te-
 nuit ecclesia, quomodo posset esse
 in fide erroneū? at vniuersitas eccle-
 siæ toto orbe terrarum diffusa, rece-
 pit indulgētiās à tempore Grego-
 rij magni (nisi quod in paucis here-
 tico-

ticorum angulis alicubi inceperūt
reſcere) Et cōcilia generalia appro-
bauerūt, ſicut ſacrum cōcilium La-
teranenſe celeberrimum ſub Inno-
centio tertio, in quo & ſaluberrima
conſtitutio, Omnis vtriuſque, edita
eſt, limitauit authoritatē minorum
prælatorum in conſeſſione indul-
gentiarum. Et ſacrum cōcilium Vi-
ennenſe approbavit indulgētias Vr-
bani quarti, pro venerabilis Fucha-
riſtiæ ueneratione. Et omnis eccle-
ſia ex Germanis, Gallis, Hiſpanis,
Italis, Anglis, Hūgaris, Polonis, Da-
cis, Scotis &c. reuerēter ſuſcepit Iu-
bileos in Roma à pōtificib. cum ple-
narijs indulgentijs celebratos.

¶ Appendix Tilmanni.

Proſunt etiam indulgentiæ ani-
mabus in purgatorio, quia non eſt
aliqua ratio, quare eccleſia tranſfer-
re poſſit communia merita Chriſti
& ſanctorum, quibus indulgentiæ
inſtituntur in viuos & non in mor-
tuos

DE INDVL-

tuos, qui in charitate decedentes, obstaculis à regni cœlestis ingressu impredientibus nondū amotis, in purgatorio detinentur. Applicat autem papa eis indulgentias non auctoritate absoluēdo, sed per modum suffragij. Quare neq; pro libito potest animas à purgatorio liberare, aut purgatorium euacuare.

Obijciunt aduersarij inter alia argumenta hoc Achillicum (vt putāt inuincibile) Etsi merita Christi sunt infinita, nequaquam tamen merita sanctorum quæ sunt plenissime remunerata, imò vltra condignū, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuēturā gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sanctorum igitur merita per indulgentiarum thesaurum nobis applicari non possunt.

Dicendum, q̄ sicut Christi opera simul erant meritoria & satisfactoria, meruit siquidem sibi & nobis, sibi qui-

Rom. 8

bi quidem, quia per humilitatē pas-
 sionis, gloriam meruit resurrectio-
 nis, iuxta illud, humiliavit semetip- **Phil. 2**
 sum, factus obediens vsq; ad mortē
 crucis, propter quod deus exaltauit
 illum, &c. Nobis vero quoniam si
 vnus delicto mortui multi sunt,
 multo magis gratia dei, & donum **Rom. 3**
 in gratia vnus hominis Iesu Chri-
 sti in plures abundauit. Et infra: Igi-
 tur sicut per vnus delictum in om-
 nes homines in condemnationem,
 sic & per vnus iustitiam in omnes
 homines in iustificationē vite, &c. **1. Pet. 2**
 Satisfecit autem non pro suis, quia
 peccatum non fecit, nec inuētus est
 dolus in ore eius, sed pro nostris pec-
 catis, vt patet ex multis sacrae scri-
 pturae locis. Ipse enim vulneratus
 est propter iniquitates nostras, attri-
 tusest propter scelera nostra. Et pau-
 lo post: Omnes nos quasi oues erra- **Ephe. 5**
 uimus, & posuit dominus in eo ini- **Esa. 53**
 quitatem omnium nostrorum.

Chri-

DE INDVL

Christus tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem deo, in odorem suauitatis, Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Ita & de sanctorum operibus & passionibus sentiendum est. Quę quatenus meritoria erant, vltra condignum remunerata cum Apostolo fatemur, quatenus vero satisfactoria, aut pœnalia, ac innumeros sanctos constet longe plus satisfecisse aut passos esse, quā p suis peccatis debuerūt, vt patet de Iob & Apostolo, & hoc non solum pro se, sed pro corpore Christi, quod est ecclesia, residuum satisfactionis, & passionis per indulgentiarum thesaurum nobis applicatur, quod ad maximam gloriam cedit sanctorū. Vnde quum contingit (exempli gratia) superfluam satisfactionem Laurentij soluere pro pœna debita Iohanni pœnitēti, gaudiū quoddam accidem

1. Pet. 2
Ioan. 3

Iob 5
Col. 3

identale Laurentius in cœlo habe-
bit de hoc q̄ satisfactio sua soluit
pro Ioanne. Et ita opera sanctorum
quatenus satisfactoria, & pœnalia
remunerantur ipsis sanctis, etiã in
his quibus p̄ indulgētiis applicatur

Hæc Tilmannus.

DE PURGATORIO.

XXV.

Purgatorium esse satis constat ex
scriptura, ecclesia, & patribus.

Si quis superedificat super fūda-
mentū hoc, aurum argētum,
lapides preciosos, ligna stipu-
lā, vniuscuiusq; opus manifestū erit
dies enim domini declarabit, qui
in igne reuelabitur, & vniuscuiusq;
opus quale sit, ignis probabit. Si cu-
ius opus arserit, detrimētū patietur
ipse autē saluus erit, sic quasi per ig-
nē. Liquecet facientē etiã opera cre-
mabilia, sicut patet in die iudicij par-
ticularis vniuscuiusq;, eum tamen
saluum fieri per ignem, nō inferni,

1. Cor. 3

T quis